

# LOGICA

## INTRODUCTIO

1. **Argumentum.** — Omissis difficilioribus quaestionibus, quae de natura Logicae eiusque obiecto agitari solent, quaeque opportuniori loco alibi resolvi debent, in praesenti duo breviter explicabimus. Primò, Logicae definitionem ac partitionem trademus. Quoniam vero totius Logicae consideratio in actibus mentis dirigendis immoratur, hinc secundo generatioribus notionibus describemus, quae notitiam aliquam horum actuum afferre possunt, quaeque in toto decursu huius tractationis usui erunt.

### ARTICULUS I.

#### *Logicae definitio et partitio.*

2. **Munus Logicae.** — Quorsum spectet haec Philosophiae pars, quae Logica nuncupatur, sic breviter et dilucide declarat Angelicus Doctor. "Alia animalia, ait, quodam naturali instinctu ad suos actus aguntur, homo autem rationis iudicio in suis operibus dirigitur. Et inde est, quod ad actus humanos faciliter et ordinate perficiendos diversae artes deserviunt. Nihil enim aliud ars esse videtur, quam certa ordinatio rationis, qua per determinata media ad debitum finem actus humani perveniunt. Ratio autem non solum dirigere potest inferiorum

partium actus, sed etiam actus sui directiva est. Hoc enim est proprium intellectivae partis ut in seipsa reflectatur: nam intellectus intelligit seipsum, et similiter ratio de suo actu ratiocinari potest. Sicut igitur ex hoc quod ratio de actu manus ratiocinatur adinventum est ars aedificatoria vel fabrilis, per quas homo facilliter et ordinate huiusmodi actus exercere potest; eadem ratione ars quaedam necessaria est, quae sit directiva ipsius actus rationis, per quam scilicet homo in ipso actu rationis ordinate et facilliter et sine errore procedat. Et haec est ars Logica, id est, rationalis scientia. Quae non solum rationalis est ex hoc, quod est secundum rationem, quod est omnibus artibus commune; sed etiam ex hoc, quod est circa ipsum actum rationis, sicut circa propriam materiam. Et ideo videtur esse ars artium; quia in actu rationis nos dirigit, a quo omnes artes procedunt. (1. *Poster. Analyt.* lect. 1.)

3. **Obiectum Logicae.** — Ex dictis facile apparet, quodnam sit *obiectum proprium* Logicae. Quocirca advertet, nomine obiecti alicuius scientiae vel artis intelligi id, de quo scientia vel ars tractat et circa quod versatur. Porro in tali obiecto duo sunt consideranda, scilicet in obiecto potentiarum. Primo est res ipsa, quam scientia vel ars considerat: secundo est ratio, secundum quam haec res sub scientiae vel artis consideratione continetur, eique obicitur. Prius dicitur obiectum *materiale*, alterum obiectum *formale*; ac bene contingere potest ut multa obiecta materialia continentur sub unico formali, ac vicissim unum idemque materiale obiectum sub multiplici ratione formali, quemadmodum diversi colores sub una ratione formali coloris respiciuntur a visu, et e converso idem corpus, puta humanum, sub diversa ratione diversarum scientiarum et artium obiectum constituitur. Iam vero, obiectum Logicae, si materialiter consideretur, proxime sunt ipsi actus mentis; quippe totius Logicae consideratio ad eos dirigendos ordinatur. Quoniam vero isti actus et ipsi habent sua obiecta, circa quae versantur, hinc *remote* haec etiam sub obiecto materiali Logicae comprehen-

duntur. Ratio vero formalis, secundum quam hi actus eorumdemque obiecta ad Logicam referuntur, est ipse ordo, quo instrui debent, ut proprium finem, veritatem nempe, assequantur. Apposite rursus S. Thomas. \* Ordo quadrupliciter ad rationem comparatur. Est enim quidam ordo, quem ratio non facit, sed solum considerat, sicut est ordo rerum naturalium. Alius autem est ordo, quem ratio considerando facit in proprio actu, puta cum ordinat conceptus suos ad invicem et signa conceptuum, quae sunt voces significativae. Tertius autem ordo est, quem ratio considerando facit in operationibus voluntatis. Quartus ordo est, quem ratio considerando facit in exterioribus rebus, quarum ipsa est causa, sicut in arca et domo. Ordo, quem ratio considerat, sed non facit, pertinet ad philosophiam naturalem; ordo, quem ratio considerando facit in proprio actu, pertinet ad rationalem philosophiam; ordo autem actionum voluntatis pertinet ad considerationem moralis philosophiae; ordo denique, quem ratio considerando facit in rebus exterioribus, pertinet ad artes mechanicas. (1. *Ethicorum*, lect. 4.)

4. **Logica vere et proprie scientia dici debet.** — Etsi Logica magnam habet affinitatem cum proprio munere cuiusque artis, ut patet ex discursu Divi Thomae supra exposito, ac propterea ars saepe dicitur, ei tamen nulla deest earum conditionum, quae ad rationem scientiae proprie dictae postulari solent. Nam primo quidem ipsa versatur in materia necessaria; considerat quippe ordinem rationis, quem ipsa ratio eiusque actus suapte natura postulant ut proprium finem assequantur. Praeterea, ea quae tradit, demonstrat per causam; procedit enim a definitione, syllogismi ex gr., ad eiusdem passionem seu proprietates probandas. Ex quo postremo fit, ut eius cognitio certa sit et evidens: nam omnis notitia de rebus necessariis per veram demonstrationem collecta, certa et evidens sit oportet. Haec igitur disciplina est scientia proprii nominis, immo haud immerito *scientiarum organum* nuncupatur, quia dirigit actum rationis, ex quo scientiae cunctae dependent.

5. **Definitio Logicae.** — Ex dictis haec Logicae definitio iure adstrui potest: *Scientia directiva mentis, ut scilicet homo in ipso actu rationis ordinate, facilius, et sine errore procedat.* Per hoc quod dicitur *scientia directiva mentis* distinguitur, tum a discipulis quae dignitatem artis minime transcendunt, tum a Philosophiae partibus pure speculativis, cuiusmodi sunt Physica, Mathesis et Metaphysica. Cetera vero, quae in definitione adduntur, tum Logicam a Morali Philosophia discernunt, tum eius obiectum proprium ac finem assignant.

6. **Logica naturalis et artificialis.** — Ad partitionem Logicae quod attinet, communis est divisio, qua alia *naturalis, artificialis* alia nuncupatur. Prior est ipsum naturale lumen intellectus ad veritatem ordinati, et ad apte disserendum quodam naturae pondere inclinantis. Altera vero est doctrina studio et labore comparata, qua intellectus redditur promptus et expeditus ut suis actibus recte utatur. Hinc vides, in quo convenienti, et in quo differant. Conveniunt in eo, quod utraque versetur circa unum idemque obiectum secundum eandem formalem rationem. Differunt vero *origine et perfectione.* Origine quidem, quia una duem non habet nisi ipsam naturam rationalem hominis; ac propterea a quovis rationis usum habente exerceri potest: altera vero enascitur ex artis cultura, et studiosa mentis reflexione, ac proinde in multis desideratur. Perfectione etiam differunt. Nam solius Logicae naturalis ductu homo veritatem quidem primorum principiorum intelligit, earumque conclusionum, quae inde facili ratiocinatione deduci possunt; sed in haec ipsa cognitione non ita distincte perspicit motivum et fundamentum, quo ad iudicandum adducitur, ut plene illud sibi aliisque explicare et ab adversariorum sophismatibus extricare possit. Contra vero accidit, si praedictae mentis dispositioni artis cultura accesserit: sic enim cognitiones iam habitas clariores distinctioresque efficimus; remotiores conclusiones, quae vulgo non patent, inde deducimus; de veritate et rectitudine, qua iudicamus, tum nobismetipsis tum aliis rationem idoneam reddimus; ac denique eorum,

quae forte in contrarium opponuntur, vitium facile tegere possumus. Ex quo efficitur, ut quemadmodum Logica naturalis est conditio necessaria ad scientiam omnem et ad ipsam Logicam artificialem adquirendam, ita haec plane requiritur, ut ceterae scientiae perfecte comparentur. \* Dicendum, ait S. Thomas, quod in addiscendo incipimus ab eo, quod est magis facile, nisi necessitas aliud requirat. Quandoque enim necesse est in addiscendo non incipere ab eo quod est facilius, sed ab eo a cuius cognitione cognitio sequentium dependet. Et haec positio oportet in addiscendo a Logica incipere: non quia ipsa sit facilius scientiis ceteris; habet enim maximam difficultatem, cum sit de secundo (h. e. reflexe) intellectis; sed quia aliae scientiae ab ipsa dependent, in quantum ipsa docet modum procedendi in omnibus scientiis. Oportet enim primum scire modum scientiae, quam scientiam ipsam, ut dicitur 2. Metaph. (Super Boeth. de Trin. q. 6. a. 1. solut. 2. ad 3.)

7. **Logica maior et minor.** — Logicae artificialis duae sunt partes, quarum altera *minor, altera maior* Logica dicitur. Huius divisionis et locutionis ratio petitur ex modo dictis. Etenim ex una parte cogitur a Logica incipere in philosophando; ex altera vero, ut notavit Angelicus Doctor, haec disciplina est valde difficilis propter reflexionem intellectus in proprios actus, qua opus est ad eam addiscendam; ac propterea iure timendum est ne adolescentes in ipso Philosophiae vestibulo animum despondeant. Hinc, ut non modo istorum utilitati, sed ordinatae etiam doctrinae methodo consulere; communi veterum suffragio approbata est divisio Logicae in *minorem Logicam* seu Summulas, et *maiorem Logicam.* Illa faciliores considerationes amplectitur ac magis necessarias circa ordinem in actibus rationis ponendum, idque praecipuo potius modo quam scientifico; altera vero altius assurgens abstrusiores quaestiones agit circa ordinem praedictum atque ad scientiae methodum magis accommodata. Apposite Sylvester Maurus. \* Necesse est Logicae perfectae Summulas praenittere seu Logicam imperfectam.

Ratio est, quia Logica est instrumentum scientiarum, et ideo necessaria est ad scientias perfecte acquirendas, eo pacto quo malleus est instrumentum artis fabrilis, et est necessarius ad faciendam opera talis artis. Ex alia parte, sicut malleus perfectus est opus artis fabrilis, quod effici non potest, nisi per alium malleum saltem imperfectum: sic perfecta Logica est scientia, quae comparari non potest, nisi adiutorio alterius Logicae imperfectae. Sicut ergo ad conficiendum primum malleum imperfectum debuit artifex prius conficere alium malleum imperfectum ex ferro ruditer elaborato, cuius deinde adiutorio malleum perfectum conficit: sic nos ad comparandam perfectam Logicam debemus acquirere prius in Summulis aliam Logicam imperfectam et rudem, quae nos iuvet ad perfectam acquirendam. \* (*Quaest. Philos.* lib. 1. Prooem.)

## ARTICULUS II.

### *De intellectuâ conceptu notiones praeviae.*

8. **Quid intellectualis apprehensio seu conceptus.** — Hoc nomine venit ipsa notitia, seu cognitio, quam mens accipit de rebus. Vocatur *apprehensio*, quia per hanc operationem res cognita quodammodo transfertur in mentem, in eaque existere incipit, quatenus mens obiecto assimilatur ac illud in seipsa idealibus veluti coloribus depingit. Hinc communi loquendi modo dicimur cognitione rem *capere, percipere, tenere*, et e converso per oblivionem res dicitur *excidere, elabi, fugere* a mente. Vocatur insuper *conceptus*, quia mens cognoscendo vitaliter operatur, atque hac operatione non extra se egreditur, sed in seipsa obiectum exprimit et quodammodo reproduct. Haec modo indicasse sufficit: profundior enim explicationem in Psychologia habere debent. Id unum notetur in praesenti, videlicet huiusmodi notitiam intellectualem minime esse

confundendam cum idolo phantasiae, quod ipsam semper comitatur. Nam hoc commune est etiam brutis animantibus, ac praeterea per ipsum non referuntur, nisi corporalia quae sensibus subiiciuntur: notitia vero intellectualis imprimis nos distinguit a brutis; deinde non modo ea refert, quae utpote spirituality omnino, nullo corporis sensu attingi queunt, puta Deum, virtutem et sexcenta huiusmodi, verum etiam in iis ipsis attingendis, quae sensibus subiiciuntur, rationem cognoscendi servat longe nobiliorem. Quid magis obnoxium sensibus, quam corporum *extensio*? Longe tamen aliud est *extensionem* oculis videre aut tactu contractare, et *extensionis naturam* seu quidditatem intelligere.

9. **Eius obiectum.** — Id quod apprehensione concipitur, ac repraesentatur, conceptus *obiectum* nuncupatur. Hoc vero dupliciter considerari potest, *materialiter* et *formaliter*. Materialiter inspectum est res ipsa quae cognitione attingitur, *prout est in se*, id est, cum notis proprietatibusque quascumque habet. Consideratum vero formaliter, seu, quod perinde est, *secundum formalem rationem obiecti*, est eadem res, sed prout habet illas notas seu proprietates, quibus hic et nunc menti obversatur. Dicuntur porro *notae intelligibiles* elementa seu gradus realitatis, quibus obiectum in se constituitur, ex gr. *animalitas* et *rationalitas* in homine: secundum haec enim obiectum *innoscit* menti, vel *innoscere potest*.

10. **Intentio intellecta, conceptus obiectivus.** — Ratio praedicta intelligibilis, secundum quam res menti obicitur, vocari solet *intentio intellecta*, quia est proprius terminus in quem fertur intuitus mentis. Vocatur etiam *conceptus obiectivus*. *Conceptus* quidem per denominationem ab actu mentis, per quem obiectum concipi dicitur: *obiectivus* vero, quia est id ad quod acries mentis directe tendit. Quapropter sedulo distingui debet ab ipso actu mentis, qui etiam dici solet *conceptus formalis*. Apposite Suarez, "Formalis semper est vera ac positiva res, et in creaturis qualitas menti inhaerens; obiectivus vero non semper est vera res positiva; concipimus enim interdum pri-

rationes et alia, quae dicuntur entia rationis, quia solum habent esse obiective in intellectu. Item conceptus formalis semper est res singularis et individua, quia est res producta per intellectum eique inhaerens; conceptus vero obiectivus . . . . saepe est res universalis, vel confusa et communis ut est homo, substantia, et similia. » (*Metaph.* D. 2. sect. 1. n. 1.)

11. **Prima et secunda intentio.** — Intentio seu conceptio mentis dispesci solet in *primam* seu *directam*, et *secundam* seu *reflectam*. Haec divisio proprie convenit conceptui formali, sed per denominationem ab eo attribuitur etiam conceptui obiectivo. Dicitur porro mens primo seu directe ferri in obiectum, cum illud respicit prout in se est; secundo vero seu reflexe, quando cogitatione redit in suam cognitionem praeiviam. Id perspicue declarat Sylvester Mauro, " Intentio est tendentia in obiectum. Sicut enim quod movetur per motum localem tendit in aliquem locum, ita quod cognoscit per cognitionem tendit in obiectum aliquid. Porro in iis, quae moventur, aliquando contingit, ut inveniant aliquod impedimentum, et tunc redeunt et reflectunt versus proicentem, eo pacto quo pila parieti allisa reflectitur et redit ad eum qui proicit. Tum vero in tali motu datur duplex tendentia. Prima et directa est, qua pila tendit ad parietem; secunda et reflexa, qua redit a pariete in proicentem. Simile quid accidit intellectui. Saepe enim per cognitionem tendit in obiectum, ex. gr. parietem; deinde vero ab obiecto, hoc est, a pariete reflectitur in seipsum et in suam cognitionem, et cognoscit parietem et cognitur. Tunc vero cognitio, qua tendit in parietem, vocatur cognitio directa et prima intentio; cognitio vero qua reflectitur ad seipsum vocatur cognitio reflexa et secunda intentio. » (*Qq. Philos.* Summul. c. 17.)

12. **Conceptus adaequatus, inadaequatus.** — Pro maiori vel minori perfectione virtutis intellectivae ac mediocri, quae cognitioni deserviunt, eiusdem rei cognitio haberi potest plus minusve perfecta. Si res perfecte omnino intelligatur, hoc est, pro mensura suae intelligibilitatis,

cognitio dicitur *adaequata* vel *comprehensiva*; secus erit inadaequata. Hoc vero postremum diversimode haberi potest. Si res ita observetur cognitioni, ut ab aliis non discernatur, conceptus dicitur obscurus; ut contingit quando aliquem a longe conspicis, quin discernere quae num homo sit, vel brutum aut stipes. Evadet autem *clarus*, si id discernere quaeis. Hic vero ulterius dicitur *distinctus*, si obiectum ita discernat ab aliis, ut clarum etiam afferat notitiam notarum saltem praecipuarum, quae obiecto insunt; ut si hominem cognoscis, prout est *animal rationale*.

13. **Locutio, verbum, vox.** — Locutio est actio propria entis intelligentis per se ordinata ad proprii conceptus manifestationem. Hinc S. Thomas (*Summa th.* 1. p. q. 107. a. 1): *Nihil est aliud loqui ad alterum, quam conceptum mentis alteri manifestare*. Terminus per locutionem productus dicitur verbum; signum vero externum et sensibile, quo communiter utimur, ut nostra locutio ad alios homines perveniat eisque innotescat, *voce* continetur. Definitor porro *vox* ab Aristotele (2. *De Anima*, c. 18): *Sonus ab ore animalis prolatus cum imaginatione quadam*. Quapropter in locutione voces materialiter se habent, ac suppleri queunt alio modo, puta gestibus, nutibus (1); id vero, quod eis formalem rationem *verbi* tribuit, est interior sententia seu conceptus mentis. Unde Augustinus " Verbum, inquit, quod foris sonat, signum est verbi, quod intus latet, cui magis verbi competit nomen. Nam illud quod profertur carnis ore, vox verbi est, verbumque

(1) Hac etiam referri debet scriptura seu locutio *scripta*, de qua haec notari possunt ex Sancto Thoma. " Si quidem homo esset naturaliter animal solitarium, sufficienter sibi animae passionibus ipsis rebus conformaretur, ut earum notitiam in se haberet; sed quia homo naturaliter est animal politicum et sociale, necesse fuit, quod conceptions unius hominis innotescerent aliis, quod fit per vocem; et ideo necesse fuit esse voces significativas ad hoc, quod homines invicem convenirent. Unde illi, qui sunt diversarum linguarum, non possunt bene convenire ad invicem. Rursum, si homo uteretur sola cognitione sensitiva, quae respicit hic et nunc,

et ipsum dicitur propter illud, a quo, ut foris appareat, assumptum est., (15. *De Trinit.* c. 11).

14. **Propria divisio actuum humanae mentis.** — Haec, quae diximus, respiciunt intellectum absolute consideratum. Quod si specialiter sermo sit de operatione seu modo operandi *proprio* humani intellectus, tunc duplex habetur operatio intellectualis. Prima nuncupatur *simplex apprehensio*, vel etiam *simpliciter intelligentia*: altera vero *iudicium*, vel *intelligentia composita*. Intellectus enim noster vel ita apprehendit, ut nullam sententiam ferat, num ita res habeat, sicut ipse apprehendit: vel contra apprehendendo iudicat, rem ita se habere vel non habere. In priori hypothesis habetur prima operatio, quae ideo *simplex* dicitur, quia nullam habet adnexam affirmationem vel negationem: in altera vero hypothesis habetur secunda operatio, seu iudicium, quae ideo vocatur *intelligentia composita*, quia mens iudicando invicem confert et inter se connectit duos simplices conceptus antea habitos. Haec vero secunda operatio dupliciter rursus a mente nostra peragitur. Uno modo *immediate*, cum videlicet iudicium profertur, quin deducatur ex alio iudicio: alio modo, *mediate*, discurrendo videlicet ex uno iudicio ad aliud in priori comprehensum. Secunda mentis operatio hoc posteriori modo elicit, *ratiocinium* nuncupatur.

15. **Undenam divisio praedicta enascatur.** — Quod si quaeratur causa, unde oriatur diversitas operationum, quas modo recensuimus, eam paucis et perspicue assignat S. Thomas. (*Summa th.* 1. p. q. 58. a. 4.) "Dicendum, ait, quod sicut in intellectu ratiocinante comparatur con-

sufficeret sibi ad convivendum talis vox significativa, sicut et ceteris animalibus, quae per quasdam voces suas conceptiones invicem sibi manifestant. Sed quia homo utitur etiam intellectuali cognitione, quae abstractit ab his et nunc, consequitur ipsam sollicitudinem non solum de praesentibus secundum locum et tempus, sed etiam de his, quae distant loco et futura sunt tempore. Unde ut homo conceptiones suas etiam his qui distant secundum locum, et his qui venturi sunt in futuro tempore manifestet, necessarius fuit usus scripturae., (1. *Perih.* lect. 2.)

clusio ad principium: ita in intellectu componente vel dividente comparatur praedicatum ad subiectum. Si enim intellectus noster statim in ipso principio videret conclusionis veritatem, numquam intelligeret discurrendo vel ratiocinando. Similiter si intellectus statim in apprehensione quidditatis subiecti haberet notitiam de omnibus quae possunt attribui subiecto vel removeri ab eo, numquam intelligeret componendo et dividendo, sed solum intelligendo *quod quid est*. Sic igitur patet quod ex eodem provenit, quod intellectus noster intelligit discurrendo, et componendo et dividendo, ex hoc scilicet quod non statim in prima apprehensione alicuius primi apprehensi potest inspicere quidquid in eo virtute continetur: quod contingit ex debilitate luminis intellectualis in nobis. „

### ARTICULUS III.

#### *Qua ratione conceptus eiusque oralis expressio dicantur signa.*

16. **Ratio tractationis.** — Doctrina de *signo* ac *significatione* in Logica tradi solet, ut quae instituto ipsius valde consentanea esse videatur. Hac de re in praesenti agendum censemus: eius enim notitia generalis est, et ad omnes mentis operationes pertinet. Primo itaque expendemus, quid nomine signi ac significationis veniat: dein vero, quo pacto huiusmodi ratio conveniat conceptui mentis eiusque orali expressioni.

17. **Quid signum et significatio.** — *Signum* generatim concipi solet, quasi medium potentiam cognoscitivam inter et rem cognoscendam ad hoc institutum, ut ducat specialiter potentiam cognoscitivam in notitiam alterius. Quare ea praesertim hoc nomine donantur, quae sunt unice instituta ad finem ducendi in cognitionem alterius. Vide

Sylvestrum Mauro (*Quaes. Philos.* lib. I, q. 55). Nexus inter signum et rem significatam *significatio* vocatur.

18. **Signum formale, et obiectivum.** — Signum in spectum in ordine ad potentiam cognoscitivam, cui significat, dividitur in *formale et obiectivum*. Signum formale est, quod non se offert, ut obiectum, sed informando potentiam cognoscitivam eam efficit cognoscentem in actu. Signum vero obiectivum est illud, quod prius in se cognoscatur necesse est, ut ex sui cognitione potentiam deat in cognitionem rei significatae. In hoc posteriori genere signorum locum praecipue tenent signa exteriora et sensibilia, atque haec consideravit Augustinus (*De Doctr. Christ.* lib. 2, c. 1.) quando signum definiuit: *Quod, praeter speciem quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire*. Alterius vero generis signa non nisi interna esse queunt.

19. **Signum naturale, et conventionale.** — Sin vero signum consideretur in ordine ad rem, quam significat, tribuitur primo in *naturale et conventionale*. Signum *naturale* definiuit: *Illud quod ex naturae instituto representat obiectum*. Huiusmodi sunt suspiria et gemitus, quae sunt naturalia signa doloris. Signum vero *conventionale* est: *Illud quod ex libera voluntate rationalis agentis obiectum repraesentat*. Ita ramus olivae pacem significat, et laurus victoriam. In huiusmodi signis conventionalibus plerumque inest ex ipsa natura rei aptitudo quaedam, ut assumantur potius tamquam signa huius obiecti quam alterius; sed actualis eorumdem determinatio ad talem significationem semper est ex liberae voluntatis placito.

20. **Signum suppositivum, ac pure manifestativum.** Dividitur secundo in *suppositivum ac pure manifestativum*. *Suppositivum* dicitur quod loco rei significatae substituitur et intelligentiae supponitur ut illius vices agat. Talia sunt statuae ac imagines. Ad rem Augustinus, "Solent quippe imagines rerum earum nominibus appellari, quarum imagines sunt.... veluti cum intuentes tabulam, parietem, dicitur: Ille Cicero est, ille Sallustius, ille Achilles, ille Hector, hoc flumen Simois, illa Roma; cum aliud non sint

quam pictae imagines." (Lib. 2, qq. *ad Simplic.* q. 3.) Signum *pure manifestativum* nuncupatur quod rei alterius praesentiam in loco aut tempore indicat quia loco eiusdem rei substituitur. Hoc modo se habet monumentum respectu victoriae latae, tubae clangor respectu pugnae securituae, crucis signum respectu eius qui modo christianus est.

21. **In quo genere signorum conceptus ac vocabula collocentur.** — Ex dictis facile inferitur primo, conceptum mentalem esse signum *formale et naturale* sui obiecti. Cum enim intelligimus, nos immediate non de actu, quo intelligimus, sed de obiecto ipso cogitamus: quare conceptus non per modum rei prius cognitae, sed tamquam forma intrinsecus afficiens potentiam determinat ad perceptionem obiecti, quod est proprium signi *formalis*, ut diximus. Quod vero iste conceptus hoc obiectum potius repraesentet, quam aliud, id suapte natura habet, non ex conventionem aliqua. Hinc, ut pulchre expendit Augustinus, "Verbum illud, quod corde conceptum est, nec graecum est, nec latinum, nec punicum, nec cuiusquam linguae." (*Serm.* 288, n. 3.)

Patet secundo ex opposita ratione, vocabula esse signa *obiectiva et conventionalia*. Nec refert, quod locutio ex natura rei significet illum, qui loquitur, esse vivum, esse praesentem, et alia huiusmodi: id enim non habet praecise, ut *locutio* est, sed ut effectus qui ostendit virtutem suae causae.

Colligitur tertio, tum conceptum, tum vocabula esse signa *suppositiva* obiecti significati. Quod conceptum spectat, res manifesta est. Ut enim supra dictum est, intellectualis apprehensio seu conceptus consistit in vitali quadam reproductione obiecti in mente concipientis: unde ita obiectum significat, ut unum quodammodo cum ipso obiecto evadat, sicut imago, in quantum imago, est unum idemque cum re cuius est imago. Hinc idem dicendum est de eius expressione, quae vocabulis continetur. Quapropter de vobis dixit Aristoteles: "Quum non liceat ipsas res per se in disserendo afferre, sed loco rerum utamur nominibus ut signis; ut quod de nominibus valet, etiam de

rebus valere putamus, quemadmodum in calculis accidit rationes subducentibus. (De Sophist. Elench. c. 1.)

22. **Quid vocabula significant directe et immediate.** Ad hanc quaestionem sic respondendum videtur, ac dicendum, iis *directe et primario* exprimi conceptum *obiectivum*, seu rationem *intellectam*, nec nisi *secundario* ac *indirecte* tum conceptum *formalem*, tum ipsam rem *materialiter* consideratam. Nam idecirco verbis utimur, ut sensibilem quodammodo nostrum conceptum efficiamus, et suppleatur defectui, qui in ipso est ad rem cum aliis hominibus communicandam, vel, quod perinde est, vocabula exteriora, qua talia, locum tenent ac vices gerunt ipsiusmet conceptus. Ergo debent praestare in significando illud ipsum, quod praestant conceptus. Atqui isti *immediate* exprimunt rem *secundum* rationem illam *obiectivam*, qua ab ipsis concipitur; haec vero ratio *obiectiva* est ipsemet conceptus, qui dicitur *obiectivus*. Sic vocabula *homo, animal, vivens* non exprimunt *immediate* conceptum *formalem* loquentis, cum attentio audientis non ad illum, sed statim ad rem significatam feratur, nec etiam exprimunt *immediate* rem, prout in se subsistit, ut ex ipso modo significandi apparet; significant enim naturam abstractam a singularibus, quod minime convenit rei prout in se est. Relinquitur itaque ut significant *primario et immediate* ipsam *obiectivam* rationem *hominis*, in quantum *homo*, ac similiter *animalis, vivens*, et ita porro. Lege S. Thomam (1. *Periherm.* lect. 2.)

## LOGICA MINOR

23. **Partitio.** — Tribus capitibus totam hanc tractationem comprehendimus pro triplici operatione propria humanae mentis, quae ordinationi Logicae subieitur. Quoniam vero sensibilia sunt captu faciliora quoad nos, hinc, quae in hac parte Logicae tradituri sumus, potius in orali conceptu expressione considerabimus, quam in ipso mentali conceptu, secundum se inspecto; sic enim praesens tractatio tyronum captui evadet accommodatio. Primo itaque sermo erit de terminis; secundo, de enuntiatione; tertio, de argumentatione.

### CAPUT PRIMUM

### DE TERMINIS

#### ARTICULUS I.

*Notio termini logici explicatur.*

24. **Definitio termini logici.** — *Terminus*, gr. ἔπος, dialectice consideratus, ita definitur a Philosopho in primo Priorum, c. 1. *Terminum cum appello, in quem resolvitur propositio, ut in praedicatum, et id, de quo praedicatur, apposito vel diviso esse et non esse.* Sensus est: terminus vocatur, in quem resolvitur propositio, tanquam in prae-